



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

*Disputatio Juris Publici Naturalis,*

De

**SUMMA POTESTATE,**

Quam

*Auspice Numine*

P R A E S E S

**HENRICUS COCCEJUS,**

U. J. D. JURIS NAT. ET GENT. PROF.

P. ORD.

ET

R E S P O N D E N S

**Johannes Georgius à Diescau,**

Nobil. Saxo,

Publicæ Eruditorum Censuræ submittent

*Die 8. Aprilis, In Audit. Philos.*



**H E I D E L B E R G Æ,**

Typis **Wilhelmi Walteri**, Acad. Typogr.

Anno **MDC LXXIV.**



1. **I**ud abs re est, quod summi Magistratus *Dii* in sacris nuncupentur, utpote per quos, tanquam Vicarios suos, divinus Naturæ Autor Jura voluntatis suæ, qualia sunt Jura Naturæ, exequitur: cum enim isthæc divina voluntas, sive expressa sive facto creationis & re ipsa significata, omnino Jus homini constituat, quantum est hoc jus in hominum societate esse, nisi sint, qui jura illa regere possint? *ut loquitur 7ctus in l.2. §.13. O.I.* Qui ergo voluntatem suam naturæ & rerum productione, & per eam jus naturæ inter homines cum effectu constituit, in simul voluit potestates, per quas voluntatem & jus suum exequeretur: quia per illas potestates effectus juris accipitur, *ut rursus habetur, d. §.13.* quæ proinde cum, Vicaria potestate, ipsius Naturæ Autoris jus exercent, ejus voluntatem exequantur, indèq; *Dii* vocentur, omnino etiam eodem jure Vicario iis *Æternitas*, *Numen*, ipsa que *Divinitas* Legibus tribuitur, & omne jus ipsorum *Dei gratiâ*, id est, *Dei auctoritate & loco von Gottes wegen* ipsis competit.

2. Quærimus autem, cui summa hæc potestas *Numinis Vicaria* in terris competat? Et quidem homo in hominem naturâ potestatem non habet, utpote qui omnes æqualiter facultatibus naturalibus à natura sunt instructi, & sine discrimine potestatis in hanc terram conditi: nam & natura homines infantes producit, qui nullam secum potestatem à naturâ afferunt, sed potius in potestate parentum nascuntur: & terram sine ulla dominiorum distinctione & sine certis finibus condidit, nec alii præ alio in ea quicquam attribuit, ut neutra ratione alii aliis sint potentiores.

3. Falsum autem est, à naturâ esse, ut stupidiores serviant prudentioribus: non enim hic de rerum administratione, in qua prudentia vertitur, sed de jure & dominio in alium quæritur, quod infans & furiosus quoque habere possunt: illi enim, etsi ne quidem intellectum habeant, jus tamen idem in suas res ac servos habent quod alii: quia jus hoc non in prudentia consistit, sed in potestate utendi & in rem suam convertendi: administratio autem per alium fieri potest: Ut proinde hæc sententia *Arist.* prorsus sit explodenda. Ineptius etiam est, quodd stupidiores saltem apti nati videantur ad serviendum; hoc enim de quovis homine dici posset: nec verò aptitudo jus naturæ infert.

4. Cum



4. Cum ergo nec homo in hominem naturam potestatem habeat; §. 2. nec plures homines, (non magis enim natura aliquid ea de re definit in pluribus, quam in uno homine, nec sciri potest, quinam præ aliis illi essent) superest necessarium, ut illa potestas sit penes totam societatem humanam; quæ & aliàs jus habet in singula membra, cum singula hæc jus suum in ipsam societatem conferant.

5. Cum ergo hujus rei dispositio sit penes totam societatem humanam, expeditior est ratio tum eligendi unum vel plures, quibus summa potestas committatur; tum societatem hominum auferentium & in omnes terræ partes diffusorum, subdividendi in plures civitates particulares, in quibus proinde singulis eadem summæ potestatis est ratio: quæ, uti alia jura, hereditario quoque jure, bello, & aliis modis legitimis acquiri potest. Et quidem illa vel erit penes unum; vel penes plures, (cujus species sunt infinitæ, duumvirorum, triumvirorum &c.) vel penes omnes, & quidem vel omnes Optimates, vel omnem populum: Rejicimus ergo vulgarem triplicis Status differentiam.

6. Videndum jam, quibus rebus summa hæc potestas occupetur; scilicet exequenda voluntate divina, seu juribus ab Autore Naturæ homini vel præceptis vel concessis: propter illa enim jura constituta est summa hæc & Dei Vicaria potestas, per §. 1. Est autem de his juribus latissimus tractatus. Hac vice saltem dicemus, Jura isthæc pertinere vel ad ipsam civitatem, ejusve statum publicum, vel ad singulos cives. In Statu Publico Jura vel sunt circa sacra vel secularia. Videndum

*De summa potestate circa sacra.*

7. Prima ergo summæ & Dei Vicariæ potestatis, quam modo ostendimus, cura ipsius cultus divini sacris moderandis constituendisque continetur. Id enim primum jus est, quod vult & flagitat divinus Naturæ Autor, se scilicet coli, propter quod hominem ipsum condidit, eumque secularibus & privatis juribus dotavit. §. 14. Et illud ergo jus primario quoque tuendum Vicariæ suæ potestati injunctum voluit, quæ proinde omnino potestas circa sacra continetur.

8. Potestas ergo hæc est potestas exequendi Jus Numinis, quod ad ipsius cultum spectat, non autem disponendi de illo jure, uti nec de aliis partibus juris Naturæ, utpote quod jus dependet à voluntate

tate Numinis; hæc autem voluntas dispositioni humanæ non subjacet. Duo ergò hîc sunt distinguenda: 1. Potestas constituendi & adornandi in rep. seu civili vita cultum Numinis, quæ est pars potestatis Politicæ, & concernit statum Ecclesiæ externum 2. Ipse cultus, qui expeditur per personas ritè ad id consecratas: cum enim res sacra profanetur, quando miscetur usibus profanis, etiam personæ, per quas cultus sacer expeditur, segregari debent ab usibus secularibus, & sacris devoveri. In hoc ergò jure seu cultu nulla est potestas unius præ alio, sed nudum ministerium; atq; aded omnium hominum æqualis conditio, quia omnes æqualiter Numini ad cultum tenentur. Hic igitur cultus, ejusq; expeditio, constituit statum ecclesiæ internum; & in illo demum, non in externo, seu Politico, Servator cultoribus suis aufert omnem potestatem, eosq; opponit potestati Politicæ; quando ait: *Reges terra potestatem habent, vos autem non sic: i. e. In rebus Politicis est potestas regum; in jure autem & cultu Numinis, quem vos profiterini, non sic, seu in eo vobis potestas nulla est. Math. 20, 25. Marc. 10, 42. Luc. 22, 25*, unde & respectu illius unum esse Magistrum, patrem & dominum alibi testatur. Ad cultum Numinis quoq; spectat cognitio ejus ac doctrina, sine quâ coli nequit, adedque & interpretatio doctrinæ, quæ proinde itidem potestati humanæ non subjacet.

9. Reliquorum ergò omnium cura ad potestatem politicam spectat §.7. quò proinde pertinet vocatio ministrorum, pœna excommunicationis & banni spiritualis, & omnis jurisdictio sacra, administratio bonorum, & quicquid ad legem Diœcesanam aut jurisdictionis spectat.

10. Solent autem Principes hanc circa sacra potestatem aliis committere, qui Pontifices Maximi dicuntur, uti olim de Hebræis constat, & Romæ Numa Pompilius Pontificem Maximum ex patribus legit, eique omnia sacra, publica & privata, exscripta exsignataque attribuit. *Liv. I. c. 20. Aurel. in Numa Pomp. &c.* addit *Liv. d. l.* rationem, quia videbantur plures Romuli quàm Numæ similes Reges fore, ipsiq; ituri ad bella, & ita futurum, ut sacra deserantur.

11. Unde patet, à quibus & quo jure hic Pontifex Maximus Romæ constitutus sit, & quòd ex primæva sua constitutione dependeat à summa Potestate, de qua loquimur. Patet itidem, quæ ipsius in eligendo Imperatore partes fuerint atque auctoritas: sc. quatenus fuit pars Senatûs, dicitur enim *d. l.* è Patribus lectus: hi autem etiam translato in Orientem Imperio simul concurrebant in jure eligendi.

12. Eodem modo pars quoque hujus potestatis committitur potest iis ipsis, qui ministerium gerunt, ut in Consistoriis formatis: nihil enim impedit, quò minus diversi generis officia in eandem personam concurrant; secularis autem administratio his non convenit. §. 8.

13. Huc quoque veteri gentium instituto ob religionis afinityatem referuntur Justa funebria, & quæ eò pertinent, Liv. d. l. licet propriè ejus loci non sint.

*De summa Potestate circa secularia.*

14. Sequuntur in Statu publico jura secularia, & ipsius civitatis, quæ proinde itidem ad tuitionem summæ nostræ potestatis pertinent per §. 6. Scilicet cum summus Naturæ Arbiter ad suam gloriam meditandam & admirandam, voluntatemque suam exequendam fecerit homines, eà fuit benignitate, ut, ne quasi gratis, sed eò felicius id peragerent, propriis quoque bonis & juribus, non tantum ad utilitatem, sed & ad voluptatem eos cumulaverit, & tum jus in universam terram ejusque bona, tum in proprias actiones, quibus, duce ratione, rerum utilitates & jucunditates sibi applicare possunt, eis concesserit, de quibus proinde juribus suis ipsi homines disponere possunt: cum hoc ipsorum jus nihil sit aliud, quàm legitima facultas de rebus suis disponendi. Horum ergò jurium tuitio itidem ad summam hanc potestatem Numinis, quod homini ista jura concessit, vicariam, pertinet: quæ potestas summa, cum ad expeditiorem ejus executionem universa hominum societas in plures civitates subdivisa fuerit, singulis civitatibus, iisve, qui civitatibus præfunt, competit. §. 5.

15. Consequens ergò est, ut, qui se & jura sua communi civitatis potestate salva velit, ea in civitatem conferat, ejusque potestati summæ submittat; cui proinde jus in ea competit superius, quatenus necessarium est aut expedit ad securitatem & felicitatem tum publicam civitatis, tum privatam civium.

16. An autem & quatenus id expediat judicium omnino est penes summam potestatem, de cujus proinde factis judicare civibus integrum non est: non enim de jure amplius statuere potest, qui jura sua semel potestati summæ, quæ loco Numinis illa tuetur & exequitur, commisit.

17. Unde & illud sequitur, non desinere hoc judicium summæ potestatis, nisi notoriè illa pro hoste se gerat: in notoriis enim judicium

dicium non est, sed in re dubia; quamdiu ergò hoc notorium non est, subditis nullum jus necessariae defensionis competit.

18. Competit ergò summæ potestati jus Imperii in singulos cives, eorumque bona; non autem dominium eminens; dominium enim jus privatum denotat, scil. rei proprietatem, cum dominus rei sit is, cujus res est propria: cum ergò res sint & maneant privatorum propriæ, non potest earum proprietates etiam competere summæ potestati: repugnat enim eandem rem pluribus esse propriam; nec ita esset propria, sed communis. Malè ergò *dominium* summæ potestati competere dicitur, cum illa vox privatum jus denotet; summa autem potestas habet jus publicum in omnes, quod *imperium* dicitur, non *dominium*.

19. Hinc verò rectè concludimus, si quid civis de suo impendere in utilitatem reip. cogatur, v. gr. fundum operi publico extruendo dare, hoc damnum reliquis civibus pro rata esse detrahendum, ipsique id damnum inde restituendum; cum enim civium bona æqualiter civitati obligentur, unus præ altero gravari non potest. Quod si autem is fortè sit reip. Status, ut restitui impræsentiarum vel precium vel res non possint; hoc tamen ipsi debitum manet, uti in privato debitore non desinit obligatio, idè quòd is non sit solvendo.

20. Contrà verò, si alicui casu seu vi externa damnum contigit, v. gr. incursione hostium, reliqui id restituere non coguntur, quia civitatis facto id non contigit; adèdq; res suo perit domino, cum non possit dici periisse ei, cujus non fuit. Etsi autem civitas bellum gerat, suo id jure facit, & quisque idem periculum expectare cogitur.

21. Porro, cum cives privatim de rebus suis disponere possint. §. 14. & verò judicium de juribus suis commiserint summæ potestati §. 15. & 16. sequitur, quòd summa potestas de bonis subditorum leges, quatenus statui civili id conducit, condere possit, etsi dispositioni juris naturalis illæ non convenient; quia ab illa dispositione, utpote circa jus proprium, cives recedere possunt. Obtinet ergò hæc dispositio Juris Naturæ inter ipsos Principes aut populos: eosque obligat, cum sit dispositio ipsius voluntatis divinæ: inter privatos autem tum, quando dispositio civilis cessat.

22. Modi autem, quibus Princeps summam potestatem exequitur, sunt duo: in extraneos, bellum; in suos, imperium.



23. De bello alibi : De Imperio in subditos ( nam quod in gubernanda rep. versatur itidem alii loco relinquimus ) id saltem hic monemus : Cum jus in causis privatorum sæpius sit varium, multiplex & subtile, utpotè quod minima quoque circumstantia variat, non potest semper Princeps, etsi factum audiat, imperium statim interponere ; sed requiritur sæpius accurata causæ cognitio & proluxa probationum series.

24. Unde causæ privatorum ex hac ratione sunt duplicis generis : aut enim imperio expediuntur, aut cognitione seu jurisdictione : hæ requirunt sententiam judicis, id est, judicium ejus de jure causæ ; illæ sententiam talem non requirunt, quia jus statim patet ex facti narratione & aliquali cognitione. §. 23. adedque statim procedit imperium & decretum judicis, quo jus exequitur : imò si jus planè sit notorium ab imperio seu executione statim incipere potest. In reliquis autem sententia de jure præcedit, & tunc demum sequitur executio seu imperium, quod proinde conjunctum seu mixtum dicitur jurisdictioni in jure Romano. Et hinc simul patet, qua ratione in eodem Jure Romano, quædam dicantur magis esse imperii quàm jurisdictionis, de quo tantæ inter Dd. controversiæ. Hæc sufficiant hæc vice saltem in genere de hac materia delibasse.

### COROLLARIA.

1. **P**recipue summa Potestas Jura & imperia sua exequitur Amore vel metu : aut enim Justitiæ seu Principis, qui eam exequitur, amor, aut metus pœnæ, Juris regulis cives conformat : illud bonis, hoc malis proprium : adeoque bonos amore, malos metu regere melius ac tutius.

2. Cum ergo in hac mundi face rarior sit Juris ac honestatis tenax animus, ipsis seculi vitiis meliores etiam animos inficientibus, omnino tutius est metui quàm amari.

3. Hactenus igitur admittendam illud : Salutaris severitas vincit inane clementia speciem. Cic. ad Brut. Item illud : Vulgi mores non nati sunt ad obsequendum pudori, sed metui ; ad abstinendum vitis, non rei turpitudine, sed metu pœnarum. Arist. 10. Eth. c. ult.

4. Me.

4. Metum autem hunc & severitatem rigida & severa Juris executione consequitur Princeps; per Coroll. 1. qui metus in bonis cum amore conjunctus est, & in malis quoque odio sapiens caret, dum rigorem sibi debitum experiuntur; nemini planè justas querelas exprimit.

5. Aliud ergo est severitas, quæ summa potestas Jura ac Imperia irremisso rigore exsequitur; aliud crudelitas, quæ in bonos ac malos æqualem sevitiã exercet, & non Jura sed injurias exequitur, nec metum sed odium gignit; cujus deniq; est illud: Oderint dum metuant.

6. Quodsi amari ac metui eodem precio haberi possint, melius est amari: quia amorem sequuntur studia juvandi; metum studia nocendi vel rectè vel apertè; quæ sæpe occasione juvantur.

7. Licet ergo verum sit, magis à summa potestate dependere, ut metuant homines, quàm ut ament; & amare eos, ut ipsis, metuere, ut Principi placet, id est, amare eos spontè, metuere invitos, amari tamen, si id haberi possit, melius esse, demonstrant exempla Appii & Quintii, qui eodem bello ac tempore, ejusdemq; populi moribus, diversos hujus rei effectus abundè experti sunt. Liv. 2. c. 56.

8. Primogeniti ante adeptam dignitatem mortui filius præferendus Jure quoque Naturæ Patruo in Jure Primogenitura.

9. Nulla res vehementius remp. continet quàm Fides, Cic. 3. Offic. Unde non hominis est sententia, quæ fidei violanda licentiam summa potestati tribuit; cum nulla re propiùs ad Deum accedat, quàm fide servanda, sine qua nec pax nec fœdus inter Principes, nec ulla societas inter homines tuta esse, aut ad momentum consistere potest: & quæ proinde omnium juris ac societatis est vinculum,

Ante Jovem generata, decus divùmque hominumque,  
Qua sine non tellus pacem, non æquora nôrunt:

Justitiæ consors, tacitumque in pectore Numen. Silius. Ital.

F I N I S.

Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3



5b.

mit V 17







17.

*publici Naturalis,*

**TESTATE,**

*Numine*

S E S

**COCCEJUS,**

ET GENT. PROF.

R. D.

D E N S

ius à Diescau,

Saxo,

ensuræ submittent

*Audit. Philos.*



**B E R G Æ,**

eri, Acad. Typogr.

LXXIV.